

Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Congregationes impedita Emissione; et nec secus Patriciorum et Civium contra Privilegia ejusdem Civitatis per statum Militarem fieri copta Constitutione, factam in hac quoque Diaeta Instantiam; clementer annuente Sua Sacra Regia Majestate, decernitur:

§. 1. Ut eadem Civitas, universis Juribus, Libertatibus et Immunitatibus suis per Divos olim Hungariae Reges eidem concessis et hicce confirmatis, adeoque hactenus per statum Militarem illatis eidem praejudiciis hoc facto sublati, amodo et imposterum semper libere et absque quopiam impedimento, tenore etiam Artic. 128. An. 1715. fruatur, et in iisdem adinstar aliarum Liberarum ac Regiarum Regni Hungariae Civitatum Praesidiarium Militem habentium (particularibus duntaxat stipendiatis in Militaribus pure suam a Jurisdictione Militari dependentiam habituris) conservetur.

§. 2. Ad quorum effectuationem et stabilimentum, seria benigna Mandata ad Bellicas Instantias semet clementer daturam resolvit Sua Sacra Regia Majestas:

§. 3. Capitulo etiam Segniensi admissa ea facultate; quam Artic. 57. Anni 1647. denotat.

### *De Unione Superioris et Inferioris Civitatis Crisiensis.*

#### *Articulus 57.*

Crisiense superiore Civitate, contra propositam ejusdem cum inferiore Civitate Crisiense Unionem, Motiva Regiae Suae Majestati introporrigi faciente; cum et alioquin juxta Dictamen Artic. 95. An. 1723. Articulariter etiam denominati Commissarii, cognitis utriusque Civitatis Juribus, ante effectuationem Unionis, diversa Partium Jura revidere et an ejusmodi Unio absque Convulsione Jurium et Privilegiorum unius, vel alterius ex praedictis Civitatibus fieri possit? cum Voto et Opinione sua Regiae Majestati medio Regiae Cancellariae Hungarico-Aulicae reportare debuissent; Altefata Sua Sacra Regia Majestas in Puncto praedeclaratae Unionis pro et contra occurrentia et introporrecta Motiva, finita mox Diaeta sibi reportari curabit, superindeque benignam Regiam datura est Resolutionem.

#### *Articulus 31. Anni 1729. de Transmissione Causarum ex Tabula Banali ad Curiam Regiam modificatur.*

#### *Articulus 58.*

Quantumvis praecitato Articulo 31. An. 1729. Causae, quae immediate in Tabula Banali suscitantur, solis Activis Pauperum (Conditionem paupertatis sufficienti Documento in Judicio edocere queuntum) necnon aliorum etiam Causis, aquisitionem florenorum Quingentorum non excedentibus, exceptis, intra Dominium semper transmittendae ordinarentur;